Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 801
Quelle:
Copyright:

ſae. Prima incipit: *Miſſa pro multis cauſis celebratur. Prima ut ſepe rogemus Deum* &c. Altera: *Introitus miſſę cui conuenit? Patriarcharum Prophetarumque preconiis* &c. Tertia: *Introitus miſſę quare dicitur? Eo quod per eum introitur ad eius officium* &c. Priores duae Rubricae illam Miſſae Expoſitionem conſtituunt, quam *Melch. Hittorpius* in quodam *Codice* inſcriptam reperit: *Ordo Miſſae a S. Petro inſtitutus*, repraeſentavitque in Collectione ſua Liturgica *Colon.* 1568. p. 582. f. paullo plenius, quam habeatur in noſtro Exemplo, nos vero etiam ad *Cod.* DCCXCIII. indicavimus. Tertiae Rubricae Catecheſis ſuccinctior nondum lucem aſpexiſſe videtur.

VII. *fol.* 71. p. 2. *Incipit Tractatus de Myſterio Corporis et Sanguinis Chriſti.* In Titulos *Octo* dividitur, quorum Primus incipit: *Nullus moueatur de corpore chriſti et ſanguine. quod in miſterio uera ſit caro et uerus ſit ſanguis* &c. Excerpta ſunt haec e *Paſchaſii Ratberti Abb. Corbej.* Opere, et quidem C. I. initio mutilum, C. II. et IV. integra, C. V. fine mutilum, C. VI. et VII. combinata, ſed VII. initio truncum, C. VIII. integrum uti et IX. denique C. X. in his verbis: *effundetur in remiſſionem peccatorum*, deficiens. Opus indicatum, ut *Index* docet, etiam alibi.

VIII. *fol.* 76. *Sermo Sancti Auguſtini in Agenda Mortuorum.* Incipit: *Quando celebramus dies fratrum defunctorum in mente habere debemus* &c. Diviſus in IX. *Lectiones* pro uſu, quem Titulus inſinuat. Alias legitur in edit. *Maur. Opp. T. V. col.* 828. ſuſpicanturque Editores, principium illi ab alio adaptatum.

IX. *fol.* 78. praeviis quibusdam PP. *Excerptis* habetur *Admonitio ad Sacerdotes.* Initium: *Fratres Presbyteri et Sacerdotes Domini cooperatores ordinis noſtri eſtis* &c. Diximus de ea ad *Cod.* DCCCV. et alias. Exemplaria tamen inter ſe conferri merentur.

X. *fol.* 79. reſumuntur *Excerpta* varia e *Gregorii* et *Auguſtini* Operibus.

XI. *fol.* 84. absque titulo *Iſidori* Ep. *Hiſpalen. Allegoriae V. et N. T.* Initium: *Domino Sancto ac reuerentiſſimo fratri Oroſio. Yſidorus. Quedam notiſſima nomina ueteris teſtamenti et euangeliorum* &c. Integrae ſunt, ut in edit. *Jac. Du Breul. Pariſ.* 1601. p. 515. f. neque negligendum Exemplar futuro *Iſidori* Promo; vel ipſa enim *Epiſtola ad Oroſium* multo melius hic interpungitur, quam in Editis. Vide et *Codd.* XXVI. LXXXVII.

XII. *fol.* 89. praemiſſis iterum quibusdam *Origenis* et aliorum PP. locis habetur Congeries quaedam *Canonica* conſtans C. VII. integro et VIII. mutilo *Epiſtolae Anaſtaſii* II. Pont. ad *Anaſtaſium* Imp. quam edidit *Harduinus* T. II. *Concc.* p. 947. dein diverſis Canonibus e *Gregorio* M. et Poenitentialibus *Theodori Cantuar.*